



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

S. Burchardus Episc. 14. Octob.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

S. BURCHARDUS Episc.

14. Octob.

*Eratis sicut oves errantes; sed conversi estis nunc ad pastorem & Episcopum animarum vestrarum.*

1. P. Pet. 2.

**I**n felix nunc Anglia, heu! minimè sancta, quam tot olim deseruere sancti, ut alios bearent. Hos inter & Burchardus, magnis natus parentibus, ne velut adamas, cognato sanguine molliretur, patriam exilio mutavit, ultro profugus in Galliam, inde alias terras, splendidam virtutem vili penula tegens, perambulabat. Radices jam egerat in alieno solo, transplantatus in Germaniam, & ipse Anglus, Bonifacius Moguntiae praelul: Huic Comes Burchardus, jam Sacerdos, Romam cum venisset, ibidem in Episcopum consecratus, & in Franconia primus Herbipolitanae pastor cathedrae ab ipso Bonifacio impositus, XL. annis praecleara auctoritate & virtutis aestimatione praesedit. Quam verò omnis pompae contemptor fuerit, Episcopale pedum (in antiquae simplicitatis testimonium, ad tumulum eius etiamnum superstes) satis ostendit, quod non

R.

auro

Bur.



auro & gemmis emicat, sed totum quantum ex sambuco est, quali nec opiliones apud gregem superbirent. Sed & infulæ demum onus Burchardus in Meningardum transtulit, ipse in Hohenburg castello cœlestium contemplatione ad cœlum expedivit iter, quod Anno Christi DCCXCI, confecit sancta morte, Anglus deinceps inter Anglos habitaturus. *Martyrol. Canisii.*

MEDITATIO.

*De bonis Pastoribus animarum  
& ovibus.*

1. **E**st nobis pastor bonus, & Princeps Pastorum Jesus Christus; sed, an nos oves ejus sumus sequentes vestigia in obedientia simplici, auscultantes voci ejus, & non dictaminibus sæculi? an sine murmure non aperientes os suum contra pastorem, si per aspera præit, & ducit. An sine dente non mordentes invicem & comedentes nos ut consumamur ab invicem. *In hoc cognoscet omnis quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. Joan. 13.*
2. Misit Deus alios quoque pastores suos administratos & dispensatores præpositos animarum nostrarum. An tu facis quod ovium est, debitum amorem & obedientiam exhibes. *Qui bene præsumt presbyteri duplici, honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbis & doctrina, pr. Tim, 10, Si autem discoli sunt, cogita*



ta monitum Christi, quaeunque dixerint vobis, facite secundum opera autem illorum nolite facere.

3 Si Pastorem te constituit Dominus super gregem suum, an cognoscis oves tuas, ut dirigas in viam bonam, ut nutrias verbo doctrinae, ut reducas errantes, ut confortes & debiles, & sanes infirmas. Dominus super pastores suos requirit gregem suum de manu eorum & va pastoribus qui pascunt semetipsos. Ezech. 34.

## S. THERESIA Virg.

15. Octob.

*Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.* Paul. ad Cor. c. 12.

**Q**uid, heu! quid cum praetextatis verbis tibi praetextata malè turba? discite, ea infantia tectè vel ab infante Theresia fari. In aeternum! in aeternum! ah quoties balbutiens clamitavit, nos scilicet, puerilem senectam, non senem aeternitatem in animo & linguâ gerimus, disertissimi infantes. At Theresia parvula cum parvulo fratre domo paternâ aufugit, ad Mauros abitura & brevi mortè longam aeternitatem auspiciat. Vivere tamen Deus illam, & ut viveret, quæ ferè mors est liberorum, mori matrem voluit. Illa ma-

R 2

irent